UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Amor sine reservatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

CONSIDERATIO XXX.

AMOR DEI,

Amor ſinè reſervatione.

A*Ma, & totus ama*, ait S. Chryſologus. Da totũ illi, à quo totum accepiſti. Offer te in holocauſtum, noli partire partem Dei. *Dividatur*, non Dei verbum eſt, ſed Diaboli. Ita decet, anima mea. Deus totus eſt meus: & ego volo eſſe totus ipſius. Deus totum ſe mihi donat, nihil reſervando pro ſe: & ego totum ei donare me debeo, nihil reſervando pro me. *Amor totus, & totalis.* Tota anima cum omnibus facultatibus ſuis, totus intellectus, tota memoria, tota voluntas, totum corpus, omnes ſenſus, totum cor Deo: quidquid humanum eſt transformandum in divinum. *Amor unus, & indiviſus*: Sinè conjunctione alterius amoris, qui non ſit abſorptus amore Divino.

Flumen intrans in mare, abſorbetur in mari, & non manet ampliùs flumen, ſed videtur eſſe mare. Eundem modum amor creaturarum, intrans in Deum, quia eſt propter Deum, non manet amor creaturarum, ſed transformatur in divinum.

Amor purus & totalis. Actui puro convenit amor purus. Actus purus totum habet intra ſe, nihil foris expectat: & amor purus ſatiatur ſeipſo, non admittit alienum amorem. Actus purus habet totum in actu: *poſſe eſſe.* Et amor purus non expectat quando poſſit amare; actu ſemper amat, quantum poteſt, ac debet amare. Concludo. Volo amare Deum meum tam puro amore, ac ſi aliud nihil eſſet, quàm Deus, & Ego: Deus, ut ametur; Ego ut amem.

CON-